DE

SECUNDINARUM RETARDATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS,

DIE VII. M. APRILIS A. MDCCCXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS OHRTMANN,

HAMBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. BLOEDAU, UTR. MED. DR.,

F. MICHAELIS, UTR. MED. DR.,

C. FESSEL, UTR. MED. DR.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

GENEROSISSIMO, CONSULTISSIMO,

DILECTISSIMO

H. A. E. DE HERMENSDORFF,

REGI A CONSILIIS IN CURIA SUPREMA.

INSIGNIS

BENEVOLENTIAE AC AMICITIAE

GRATO ANIMO MEMOR

PAGELLAS HASCE QUALESCUNQUE

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Fusius de secundinarum retardatione, ejusdem causis et curatione disserere, in animo mihi esse non potest, tempus nempe et spatium urgent; de sententiis denique medicorum, artisque obstetriciae magistrorum saepe dissentientibus, observationum et experientiae mihi fere experti, dijudicare aequum haud videtur.

Sub judice adhuc litem esse, non me fugit. Tot tantisque de hac materia scriptis pervolutis, nec non singulis a me observatis casibus meam hac de re opinionem proferre mihi proposui. Variorum nostram proprie materiam attingentes virorum opiniones, a primis inde temporibus, brevibus allegatas verbis, hic reperire lectorem haud pigebit, nec mihi alienum apparet.

Foetu expulso, uterus laxus aliquamdiu quietus remanet, a laboribus nempe ad partum sese reficere videtur; mox vero pristinam, quam antea prae se tulerat, formam, virium sibi propriarum ope, recuperare studet. Contractiones uteri insequentes rursus procreant dolores, doloribus ad partum simillimos, quorum et vaginae vi expul-

siva secundinae vulgo manu medici haud adjuvante solvuntur itemque expelluntur.

Hoc sola vi naturae, ullo sine artis auxilio, saepissime peragi, modo commemoravimus. Multis contra in casibus secundinarum retentio anomala maxime est periculosa; magnaque opus est animi intentione, ad varias affectiones concomitantes sequelasque noxias, vitae puerperae proh dolor saepe minantes, functionesque puerperales quovis certe in casu perturbantes, rite dijudicandas. Causarum tantummodo accurata cognitio, specialisque totius status, affectionisque localis morbosae perscrutatio, viam medelae congruae pandere nobis possunt. Hac sola ratione, quamdiu naturae conatibus, remediorumque effectui dynamicorum sit confidendum, nec non momentum manus adjuvatricis accedentis rite distinguere nobis continget. Opiniones nimis arcte doctrinam amplectentes nostri aevi auctores splendentissimi plane fere rejecere. Secundinarum remotionem naturae viribus quovis in casu committere, ulla sine indicatione ope artis partum perficere, interdum etiam naturae conatus temere intercipere, aegrotasque haemorrhagiis vehementissimis, febribusque, retentione placentae putridae exortis, malignis, neci tradere medicorum nec ullum dubitasse historia nos docet. Veteres fere omnes medici sententiae non accelerandae secun-

dinarum extractionis sunt addicti. Affirmat quidem *Hippocrates:* [1]) *Si* secundae statim a partu non discesserint, imi ventris dolores in lateris inanitate suboriuntur, et rigores ac febres. Mox vero pergit: plerumque vero putrescunt, sexto tamen aut septimo die, aut etiam posterius exeunt: *Aëtius* [2]) et *Paulus Aegineta* [3]) placentam in materiam ichorosam dissolutam, ullo sine puerperae detrimento post aliquot dies sponte removeri, affirmant. —

Hippocratis et *Galeni* doctrinas sequentes eandem agnoscunt sententiam, dissentiunt attamen de tempore, quamdiu secundinae sine damno in utero morari possint. *Bartholinus* [4]) exemplum refert, secundinas per quatuordecim hebdomades sine damno fuisse retentas; *Menzel* [5]) illas post annum praeterlapsum plane exsiccatas esse dejectas commemorat; *Kerkring* [6]) post menses quatuor. *Gehler* [7]) foeminae mentio-

---

1) de morbis mulier. lib. 1. edit. Foës. p. 173.

2) *Henr. Stephani* med. art. princ. 1567. Tom. II. p. 791.

3) Oper. Lugduni. 1589. p. 635.

4) Act. med. phil. Hafn. 1633. 8. acc. Exam. obstetric. p. 54.

5) Misc. natur. cur. Dec. 2. an. 1. obs. 31. p. 74.

6) Spicileg. anat. obs. 36. p. 78.

7) Kleine Schriften, die Entbindungskunst betreffend, übers. v. C. G. Kühn. Leipz. 1798. Th. 1. p. 319.

nem facit, quae placentam per tredecim hebdomades in utero gessit, quam denique dolores removerunt. Fusius attamen istae observationes demonstratae valetudinem puerperae prosperam vel adversam plane non depingunt, ita ut nil certi ratiocinandum.

Mauriceau [1]) contrarium proposuit: „Aussi-„tôt que l'enfant sera hors de la matrice; avant „même que de lui nouer, et couper le cordon de „l'umbilic, de peur qu'elle vienne à se refermer, „il faut, sans perdre aucun temps, delivrer l'ac-„couchée de cette masse charnue." *Deventer* [2]) eo tantummodo discrepat, quod, funiculo umbilicali resecto infanteque a matre sejuncto, secundinas extemplo removet. *Chapman,* [3]) *Mowbray* [4])et *Thebesius* [5]) nimis festinantes, funiculo umbilicali nondum dissecto, de secundinis removendis jamjam cogitant, eodemque, quo Mauri-

---

1) Traité des maladies des femmes grosses. à Paris 1712. Liv. II. Chap. 8. p. 248.

2) Observ. chir. novum lumen obstetr. exhib. L. B. 1701. 4. p. 126.

3) Treatise on the improvement of midwifry. London 1735. p. 65.

4) Femal physician. p. 220.

5) Hebammenkunst. Liegnitz 1759. 8. p. 259. §. 303. 304.

ceau deducti metu. *Harttrampft*[1]) inprimis hanc amplectitur opinionem, partu ceterum normali, ad artem illico refugiens, ut commodo suo ageret, et laborem quam citius finiret. Non defuere attamen, qui intempestivum naturae moderamen, nimiamque in secundinis auferendis festinationem graviter vituperarent, haud nescii, artem non undique esse postponendam, inter quos *Ould*[2]), *Alexander Monro*[3]), nec non inclytus *Platner*[4]) laudandi. *Ruysch*[5]) hujusce aberrationis musculum suum orbicularem in fundo uteri agnoscit causam, cujus et relaxatio et insolita placentae affixio, secundinarum dejectionem irritam reddunt, quam naturae mandare suadet. Musculus secundum *Ruysch*, brevi tempore interjecto, novas recuperat vires. Celeberrimum huncce auctorem secundinarum putredinem plane negare, fictamque dicere, omnino mirum. Placentam uteri contractionibus pristinam amittere for-

---

1) Diss. de non differenda secundinar. extractione. Lips. 1735.

2) Treatise of midwifry.

3) Medical Essays. Vol. II. observ. 11. p. 304.

4) Instit. chirurg. §. 1444. sqq.

5) Tract. anatom. de musculo in fundo uteri obs. Amst. 1726. p. 13, 14. 20.

mam, et in duram carnosamque degenerare molem contra affirmat.

Per aliquot horas secundinas in utero sine damno morari posse, *Puzos*[1]) ejusdemque discipulus *Levret*[2]) contendunt, nisi haemorrhagiae aliaeque affectiones imminerent morbosae; placentam merito, infantulo expulso, adhuc relinqui et *Smellie*[3]) persuasum. *Baudelocque*[4]) haud dissentit, placenta vero adhaerente haemorrhagiam vehementem secum ducente, solutionem arte sine mora esse perficiendam jubet. *Gehler*[5]) remedia interna universe rejiciens, omnia vulgo naturae conatui remittit, haemorrhagiae attamen gravi periculum minante, manu e vestigio disjunctionem instituere suadet. Opinionum de varietate, quod ad limites artis adjuvantis rite scindendas attinet, rixa[6]) inter medicos exarsit

1) Traité des accouchemens. à Paris 1759. 4. chap. 13. p. 141. seqq.

2) Mémoires de l'academ. royale de chirurg. Tom. III. p. 213.

3) Traité de la théorie et prâtique des accouchemens. à Paris. 1754. 8. Tom. 1. p. 242.

4) Anleitung zur Entbindungskunst, übers. von P. F. Meckel. Leipz. 1782. 8. Bd. 1. S. 299.

5) l. c. p. 357.

6) Journal der Erfindungen. XXII. St. 1. XXVIII. St. 1. XXX. St. 1.

vehemens. *Weissenborn* et *Stark* inprimis mentionem facio, quorum alter disjunctionem artificialem commendat, alter plane rejicit. — *Wigandii* [1]) scripta rem maxime illustravere. Secundinarum retentarum causas varias primus omnium distinxit, fusiusque explicavit. Multa de remediorum usu interno pollicitus, manum adjuvatricem raro admittit. Illustrissimus *E. de Siebold* [2]) inprimis hic mihi laudandus, qui, ope naturae fretus, remediis internis artique saluberrimae locum assignat. *Henschel* [3]), si symptomata perniciosa imminent, disjunctionem artificialem nuperrime magnopere tuetur. *Schmidtmüller* testem ille commemorat, qui placenta relicta saepius quam disjunctione artificiali exitum lethalem sese vidisse affirmat. Quaedam etiam exempla memoratu dignissima *Henschel* nobis proponit. *W. J. Schmitt* [4]) suam, de qua infra verba faciemus, placentae saccatae definitio-

---

1) Von d. Ursachen u. d. Behandl. d. Nachgeburtsverzögerungen. Hamburg. 1803.

2) Ueber d. Grenzen der Natur und Kunst in Bezug auf das Nachgeburtsgeschäft. Würzburg. 1814.

3) Noch ein Wort über das Lösen, d. Nachgeb. in Rust's Magaz. für die ges. Heilkunde. Bd. 7. Hft. 1. 1819. S. 85.

4) Journal für Geburtshülfe u. s. w. von E. v. Siebold Bd. 3. St. 3. S. 452.

nem nobiscum communicans, periculo imminente secundinas ope artis removere suadet. *Seiler* [1]) eandem opinionem profitetur, hocce modo citius uteri contractiones provocari pro certo habens, nullaque sanguinis profluvia esse timenda, quorum quatenus secundinae sint causa, haud facile sit dijudicatu.

De artis limitibus quid certi statuere, quam difficile sit, e sententiis dissentientibus patet; unam alteramve agendi rationem a viris celeberrimis tentatam deligere medici quovis in casu judicio committitur. Virum eruditissimum, omnibusque nostra de doctrina in scriptis versatissimum, ut *Schmitt* [2]) desiderat, antiquorum et recentiorum auctorum exempla sparsim commemorata omnia, collocare in unamque redigere formam, hucusque in votis. Quae forma evolutioni doctrinae nostrae arcte accommodata eatenus forsitan cujusdam foret fructus, quatenus medico practico varias per dubitationes viam panderet, illumque, ne variis deductus ab opinionibus, propria tristissima experientia ad agendum destinaretur, ab initio jam caveret.

Quod ad causas secundinarum retentionis

---

[1]) Eod. loc. Bd. V. St. 3. S. 619. Bd. IV. St. 3. S. 561.

[2]) l. c. p. 458.

attinet vel dynamicae, vel mechanicae merito nominandae; primo nimirum in casu ratio virium uteri perversa, altero situs, ambitus, coalitio placentae cum utero a normali secedentes causae sunt arguendae. Raro tantummodo experientia hasce retentionis conditiones sejunctim ostendit, quarum fere semper altera alteri subest. Varios hos status secundum causam medelaeque rationem singulos fusius pertractare nihilo secius ineptum haud mihi apparet, ut indoles eorum vera clarius ob oculos cadat. Singulis, qua par est, diligentia dilucidatis causis, medico, omnia animo caute volutanti, de complicationibus dijudicare, aptamque medendi rationem eligere haud erit difficile. Attamen cum sit res ardua, multisque pressa difficultatibus, agendi rationem undique aptam stabiliendi, neccessarium tamen esse, mihi persuasum, naturae adjumentum quousque expectandum, manusque adjuvatrix quando sit admittenda, generatim definire. Hisce conditionibus omnibus sententia, quam nunc proferam, utique respondere mihi videtur. Secundinarum retentione haud graviora vitaeque aegrotae minantia symptomata secum ducente, disjunctio nec non excretio earum quiete naturae sunt mandandae. Coenaesthesin alienatam diaeta idonea usuque remediorum dynamicorum apte moderari, medico solummodo licet. Multorum aucto-

rum relatio, placentam per aliquot tempus sine incommodo in utero retentam, vique naturae sola dejectam esse, nec non partus brutorum anomalus, effatum nostrum affirmant. *Van Swieten* [1]) hic allego, qui habet: Neque etiam ruricolae et veterinarii a retentis secundinis vitulinis mortem vaccae augurantur. E contra constans apud illos observatio est, secundinas, nisi simul cum vitulo prodeant, relinquendas esse, quae tunc post novem dies solent sponte prodire. Si vero statim post partum evellerentur, saepe uteri suppuratio sequeretur.

Sed ut primum symptomata graviora, vitae discrimen adducentia, apparent, caute remediis dynamicis fides tribuenda, nisique mox fructum praestant exoptatum, ad manum adjuvatricem statim nobis erit refugiendum. Cum ratione perversa mechanica nobis hic agendum, quae et dynamicam agnoscens causam, vix ac ne vix quidem remediis cederet internis, dum vires aegrotae labefiunt. Remotio ceterum ipsa placentae mechanica uteri contractiones promovet. Secundinis remotis, uterus liberius et sine impedimento sese contrahere potest, remediaque, inprimis vero injectiones in parietes uteri ipsas vim suam exer-

---

1) Comment. in Boerh. Aphor. Tom. IV. p. 577. L. B. 1750. 4.

centes, majoris certe sunt fructus. Secundinis adhuc in utero relictis sanguinis et exigui fluxus maximi sunt momenti, nosque attentos reddere debent. Non diuturnitate tantum vitae discrimen adducunt, sed parietes uteri saepe vulneratas esse indicant, quo in casu placentae putredo, ichore resorpto, febres producit exitiosissimas. Hisce haemorrhagiis diu perseverantibus, remotio artificialis haud differenda est. Manum negotiis in istis versatissimam neque rudem talem atque inexpertam opis quid afferre posse sponte sua patet.

Quod ad operationes huc pertinentes caute instituendas, quin verba illustrissimi cujusdam artis nostrae magistri [1]) allegam, non possum, Bei dem Lebenszustande einer fast Sterbenden bleibt die Ausziehung eines Mutterkuchens immer eine starke gefährliche Vulneration, wenn gleich weder geschnitten noch gestochen wird. Paulo ante habet: Es ist besser, da, wo bei instehender großer Gefahr, beides, das Vermögen der Natur und das Vermögen der Kunst, unberechenbar sind, der Natur zu vertrauen, als sie durch eine gewagte Kunst um ihre letzte Kraft zu betrügen.

---

1) *W. J. Shmitt*, l. c. Bd. III. St. 3. 1822. p. 457. et p. 454.

Ad causas, quae modo dynamico secundinarum retardationem efficiunt, nunc accedimus, quae quidem sunt: status inflammatorius, rheumatismus, atonia et spasmus uteri seu contractiones ejus anomalae. Animi intentione ad prophylaxin inprimis egemus. Saepissime enim et omissa inprimis partus stadiis affectionum morbosarum cura, et nimia partus acceleratio illis ansam praebet. Hic *Wigand* affero, qui prae ceteris et causas pathologicas, et rationes therapeuticas ad secundinarum retardationem spectantes accuratius distinxit.

Status inflammatorius uteri, ultimi hujus partus stadii aberrationis causa, omissa plethorae curatione in graviditate et partu, vi mechanica, rudi obstetricatoris seu obstetricis agendi ratione, nimia parturientis, pelvi justo minori, contentione, situ foetus vitioso, nec non remediis incitantibus efficitur. Symptomata phlogoseos haec sunt: uterus totus dolet, et tactu dolor fixus augetur, genitalia externa et interna ardent, simulque secundum parietem anteriorem seu posteriorem magis affectam, urinae seu alvi excretiones sunt turbatae. Symptomata quae plerumque febrem inflammatoriam simplicem stipant, haud desunt, exempli c., nausea, vomitus, lassitudo et varia etiam systematis nervosi affectiones. Prognosis uti in

aliis.

aliis morbis, secundum parturientis aetatem, et corporis habitum, nec non causas noxias hanc affectionem excitantes, et medelam citius aut serius adhibitam, diversa. Sed fausto etiam eventu secundinarum expulsio segnis et multis conjuncta cum doloribus, postea lochia effluunt foetida, aliaeque functiones puerperales turbatae evadunt. Ante omnia sanguinis detractiones et universales et topicae sunt adhibendae, nec non alia refrigerantia, totus ergo apparatus antiphlogisticus. Fomenta tepida ex herbis emollientibus, cum herba hyoscyami lacte coctis abdomini applicanda sunt. Systematis vasorum sanguiferorum vim nimis excitatam hoc modo frangimus, quo facto uterus a nimia humorum copia, fibrarum contractiones impediente, liberatur. Inflammationem resolutam secundinarum tarda expulsio, haemorrhagia et sudore critico stipata, excipere solet. In adhaesionem placentam cum utero anomalam, affectioni isti conjunctam, mercurii dulcis vis magnopere laudatur. Secundinae in statu inflammatorio manu haud sunt removendae; sin vero alias ob causas necessarium appareat, non prius quam inflammatione sanguinis detractionibus temperata.

Alteram causam, quae etiam stadiorum priorum partus decursum tardiorem reddit, rheumatismum dico. *Wigand* primus omnium eum ad-

vertit, eoque uterum affici posse demonstravit. Causae rheumatismi in genere et hunc procreant, praecipue in pelvis organa et pedes, quo etiam uterus sympathice afficitur, vim suam exercentes; hasce transire, haud in malam mihi vertatur partem. Dolor quidem tensivus, aut quibusdam in partibus aut toto in utero, symptoma pathognomonicum prodit, fibrarum muscularium contractiones plane inhibens. Omnes uteri partes sensiliores tactuque magïs dolentes evadunt. Anxietate quadam cruciatae, parturientes in lecto huc et illuc jactantur, de atrocissima siti conquerentes; dolores ad partum perficiendum tardi, sine fructu et quam maxime dolentes. Pulsus est frequens, mollis, undosus, si cutis est madida, sin autem arida, pulsus parvus duriusculusque. In summo morbo levissimo quidem tactu tegumentorum abdominis dolor maximus exardet. Saepissime jam ante partum seu in eodem, imminere rheumatismum hisce ex signis concludere licet. Minimum illud pondus, quod vestimenta, vel levissima in abdomen exerunt, jam aegrotis molestum est, noctes insomnes et inquietae, sub lucem saepissime accedit dysuria, urina ipsa roseum ostendit sedimentum, tempore vespertino febris accrescit aeque ac dolores vagi, modo pungentes modo lacerantes, qui in utero exorti, regionem deinde sacralem, labia pudenda, imo

femora petunt; cutis deinde madescens febris aeque ac dolorum remissionem adducit. Natura medicatrix hancce affectionem plerumque sudore universali, copioso peculiarisque odoris excitato solvere solet; prognosis igitur haud adeo mala, cum sudore oborto dolores deinde crebriores et fortiores fiunt, sensilitas nimia minuitur, secundinae tardius quidem, sed manu haud adjuvante, solvuntur et expelluntur. Ex illis, quae modo dixi, patere mihi videtur, primam indicationem esse, cutis perspirationem provocandi, in qua efficienda omnis curatio versatur; huic scopo *Wigand* quasi specificum magnopere laudat opium, optimoque eventu eo utebatur. Conjungit cum eodem radicis Ipecacuanhae quartam partem grani unius pro dosi, hac formula

Rec. Opii puri gr. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$
Rad. Ipecac. gr. $\frac{1}{4}$
Sacch. alb. ℈ß.
M. f. pulv. dent. tales doses Nr. vjjj.
S. Omni bihorio pulv. un.

Praeterea nec minoris momenti ei sunt potiones calidae, atque fomentationes, idonea temperie adhibitae. Quibus neglectis opium e contrario magis nocere quam prodesse profert, cum nempe tunc cutis arida atque calida, dolores capitis exoriantur. Sin vero natura morbum crisi

per urinam aut alvi excretionem dijudicare conaretur, quod raro tantummodo evenit, eam potissimum sequi necesse est.

Ex his, quas jam attuli, causis, si earum aut nulla aut incongrua medendi ratio adhibetur, saepius tertia prodit secundinarum retardationis causa, quae quidem est atonia uteri. Proxima ejus causa est defectus vis contractilis seu languor uteri extensi in pristinam formam redeundi. Quoad gradus dividenda est in inertiam atque atoniam proprie sic dictam. In inertia adest quidem debilitas uteri, attamen vis contrahendi nondum penitus sublata, in atonia contra plane exhausta est; causis praedisponentibus haecce adnumerantur: constitutio corporis generatim debilis, et a parentibus innata et morbis gravibus acquisita, debilitas quaedam topica utero insidens, toti interdum familiae peculiaris, aetas non plane partui conveniens aut juvenilis aut jam provectior, et plures valde difficiles partus. Omnia haec favent causis occasionalibus, uti verbi gratia; dolorum elaborationi intempestivae, qua vires in ultimo partus stadio tam necessariae consumuntur, vi externae cuidam noxiae, nimiae uteri extensioni, quantitate liquoris amnii effectae, seu gemellis, seu foetus seu placentae vitioso situ, haemorrhagiis vehementibus partum comitantibus et fortuitis morbis uteri

plethorae, rheumatismo, phlogosi complicitis. Jam in priorum partus stadiorum decursu inertia manifestatur; qui quidem regularis tamen aequo tardior. Per abdominis integumenta uterus non uti solet, durus sentitur et fundus uteri ejusdemque os et bulla non distincta tensione, foetus ipse mobilior erat, ejusdem caput in doloribus descensum, mox retro adscendebat et sanguifluxus etiam in doloribus perdurabat. Foetu expulso, abdomen laxum invenitur et, nec tempore aliquo praeterlapso, contractiones minores redeunt.

In atonia nihil reperitur parvi illius atque duri uteri globuli, imo digitis altius prementibus abdomen omne molle, in cujus exploratione ne minimam quidem tensionem invenies; sanguis profluit, doloribus plane deficientibus, mox tardius, mox citius continuo in uno quasi fluxu aegrotis ipsis insciis. Lenissima quaque funiculi umbilicalis adhibita tractione, quam externa etiam exploratione animadvertere possumus, sanguifluxus augetur. Quibus saepe internae haemorrhagiae symptomata, Syncope, Convulsiones, pulsus frequens parvus intermittens, partes extremae frigidae, faciesque hippocratica superveniunt. Prógnosis generatim secundum debilitatis gradum et corporis constitutionem diversa, atoniae vero paene semper mala. Levioribus

gradibus, ubi non ulla periculosior haemorrhagia adest, solummodo potentiae nocentes vitandae sunt, et infantulum matris aliquod post tempus recreatae mammis admovendum, ut uterum sympathice ad novas contractiones incitaremus. Sin vero secundae post plures etiam horas non expulsae, injectiones infusi florum chamomillae in vaginam adhibendae et si exploratione interna placentam solutam invenimus ex utero amovendae.

Majoribus autem atoniae gradibus, omnia ea remedia incitantia, quae efficacissima ad provocandam uteri vitalitatem esse experientia nos docet, in usum vocamus; exempli gratia, tincturam Cinnamomii, naphthas, olea aetherea, vinum et alia, quae autem largioribus dosibus sunt praebenda. Nec minus vero incitantia externa, lenes abdominis manu perficiendae frictiones, fomenta etc., praetermittenda sunt. Simulatque tamen haemorrhagia accidit, manu adjuvatrice placentam amovere oportet. Non solum enim extractio artificialis ipsa prae ceteris uterum incitat ad novas contractiones; placenta amota uterus omnis etiam liberius sese contrahere potest, quo facto denique certe causam saepissime haemorrhagiae occasionem praebentem, rejecimus. Quacum simul conjungimus frictiones in abdomen applicatas, fomenta frigida ex aqua et aceto seu

spiritu vini et injectiones, si vero hysterica foemina aut generatim ad systematis nervosi affectiones propensa, tum fomenta et injectiones tepida ex infuso florum chamomillae cum herbis aromaticis et spiritu vini adhibemus, et fomenta frigida praeterea in partes extremas inferiores et remedia interna, de quibus verba supra fecimus. *Morenheim* etiam pressionem perdurantem, omni modo aequalem in abdominis integumenta laudat.

Quomodo in atonia contractiones plane deficientes secundinarum retardationi occasionem subministrare cognovimus, contra in contractionibus anomalis seu uteri spasmo eae justo fortiores, et inaequales et typo irregulares nobis occurrunt. Unum locum fortius vexant, quam alium, neque minus totum uteri corpus ac etiam os uteri solum occupant. Quo quidem modo omne negotium valde protrahitur. Vel uteri os spasmis vellicatur atque contrahitur, quo placenta retinetur, vel uterus totus, omni ex parte vi aequabili et sine ulla intermissione secundinas circumcludit. Denique fibrae musculares uteri opposito directioni sese contrahere traduntur, ita ut uterus in duas partes dividatur, et id, quod incarcerationem placentae dicunt, oriatur.

Placentam seu totam seu ex parte in superiori cavo invenimus. *W. J. Schmitt* [1]) et

[1]) *W. J. Schmitt* über den herrschenden Lehrbe-

ante eum *Zeller de Zellenberg* duplicem illum cavum imaginarium fictumque habent. Contra potius sumunt partem illam uteri, quam nonnulli obstetricatores incarceratam habent, eamque alterum os uteri nuncupant, nihil aliud esse, nisi verum os uteri altius positi; vaginam illi proximam magnopere dilatatam esse, talique modo in hunc errorem induxisse. Utrum hanc an illam explicationem libentius amplectaris, id quidem certum est, hunc statum maximi esse momenti, cum saepenumero haemorrhagiae gravissimae illum comitentur. Configurationes iniquae, situs foetus vitiosus, locus placentae anomalus, praesertim autem partus nimis acceleratus, vis mechanica in os uteri illata, aeque ac animi affectus deprimentes, v. c. terror, angor, metus, causas occasionales inprimis praebent; quo magis omne systema nervosum simul correptum patitur, eo pejor prognosis. Strictura plerumque periculosior atque pertinacior quam spasmus particularis, quo os uteri tenetur.

Universalis uteri spasmus raro tantummodo occurrit.

Periculosissima complicatio spasmi cum haemorrhagia, quae proh dolor saepissime accidit.

---

griff von Einsackung des Mutterkuchens in s. ges. obstetr. Schriften. Wien 1820. p. 413.

In curatione praesertim indolis spasmi, placentae, insuper, an jam soluta sit, nec ne, atque an haemorrhagia externa aut interna cum illo conjuncta sit, rationem habeamus. Quo secundinae spasmo oris uteri retinerentur, mitigamus injectione florum Chamomillae in vaginam facta potissimum. In totius uteri contractionibus spasticis, quibuscum ut plurimum aliae systematis nervosi affertiones sese conjungunt, remedia,¹ quae antispasmodica audiunt, praecipue laudantur, inter quae opium, Castoreum, liquor ammonii succinici primum locum habent. Porro et calida fomenta ex infuso florum chamomillae in abdomen adhibita, frictiones et enemata antispasmodica in auxilium vocanda sunt.

Hic plerumque conatus placentae amovendae, imo etiam jam solutae, periculosissimi, quibus nimirum non solum contractiones adaugentur, sed etiam saepissime haemorrhagia excitatur. Spasmo demum remediis dynamicis magis magisque imminuto atque sedato, haemorrhagia tunc subito exorta, cite manu adjuvante placentam amovere nobis licet, quod etiam haud difficile perficitur.

Placenta saccata certiorem nobis offert indicationem ad placentam arte disjungendam, cum fere semper periculosa haemorrhagia aut externa aut interna eam comitatur. Remediis dynamicis solis potissimum tunc fides tribuenda est, cum

haemorrhagia plane nulla adest. Quod si idoneum momentum negligitur operationis perficiendae, periculum atque difficultas valde augentur. Nonnulli amotis secundinis, manum denuo in uterum inducere ad contractiones normales provocandas, commendant; quocum frictiones abdominis conjungunt.

Hactenus de ratione dynamica anomala.

Quod ad rationem anomalam mechanicam, qua causam illius retardationis attinet, invenimus situm insolitum, majorem molem, consistentiam nimis laxam, et coalitionem secundinarum cum utero, quorum priora quidem plerumque minoris sunt momenti.

Situs insolitus placentae, quae vel in sinistro vel in dextro latere fundi uteri, vel interna facie anteriori affixa est, jam exploratione externa cognoscitur, atque directione funiculi umbilicalis ac interna exploratione manifestatur. Tunc puerperam in latere, placentae insertioni opposito cubare curamus, aut si placenta parieti anteriori adhaeret, uteri globulus leniter versus os sacrum premendus. Quibus saepissime solutio et exclusio placentae efficitur. Sin vero haec non sufficiant, digitum medium et indicem pone funiculum umbilicalem usque ad placentae insertionem perducimus, atque leni pressione versus os sacrum placentae expulsionem adjuvamus. Magni-

tudinem excedentem et nimiam mollitiem placentae, quorum causae adhuc occultae sunt, raro tantummodo retardationi ansam praebent. Plerumque sine ullo periculo actum solummodo tardiorem faciunt. Omnis tunc curatio versatur in viribus uteri et frictionibus externis et remediis internis erigendis. Si quidem operatio ob haemorrhagiam exortam necessaria foret, ea facillime cedit, cum connexum cum utero laxissima tela cellulosa efficit.

Cohaerentia denique placentae anomala seu coalitio organica cum uteri parietibus secundinarum retentarum causae arguendae sunt. Non omnes auctores [1]) hanc modo commemoratam causam agnoscunt, plurimi attamen hoc magni faciunt momenti. Plurimis in casibus partialem hanc coalitionem reperimus, cui vulgo vis sanguinis nimis plastica subest. Constitutio irritabilis, fabricaque uteri organica inaequalis causae praedisponentes exstant. Omnia ergo conferunt, quae irritabilitatem in genere, praecipue vero systematis uterini, augere pollent, exempli causa, animi pathemata, potus calidi atque excitantes, coitus immodicus, remedia abortiva et reliq. nec non et illa, quae reactionem topicam efficiunt, ac ista

---

1) Dr. *O. Seiler* über das Zurückbleiben der Nachgeburt, in *v. Siebold* Journal Bd. V. St. 3. 1826.

vitae ratio, in qua abdomen saepius et valde premitur, strophia etc.

Jam in graviditate, et praecipue in duabus ultimis ejusdem mensibus, hicce status, dolore fixo atque ardente in utero, qui incitamentis, systema sanguiferum excitantibus, crescit, facile agnoscitur; in partu cum doloribus maxime dolentibus, haemorrhagia, quae etiam capite descendente augetur, prodit, ad quam plerumque phlogosis àccedit. Foetu expulso, quoque quidem dolore haemorrhagia adaugetur, uterique globulus insolite durus, cylindri similis et inaequalis est formae, In ore uteri aut nihil aut minimum tantum placentae, neque hoc inversis cum involucris reperimus. Lenique funiculi umbilicalis tractione gravissimi exordiuntur dolores, haemorrhagia augetur, funiculusque umbilicalis attractus statim retro adscendit. Fortibus interdum contractionibus coalitionem disjungere uterus valet. Quo magis contractiones dolent, citiusque sese sequuntur, simulque haemorrhagia adest, et uteri circumferentia paulatim imminuitur, eo magis solutionem natura perfecturam sperare possumus. Sin autem hoc non evenit, lenibus abdominis frictionibus, infantulo mammis admovendo, fomentis tepidis ex infuso florum chamomillae cum spiritu vinu seu spir. sal. ammon., naturae conatus adjuvandi officium est. Lenis funi-

culi umbilicalis tractio, manu eodem tempore pari modo uteri globulüm premente, solutioni etiam favet. Alias cynaestheseos turbationes congruis remediis curare, et praecipue vim vitalem nimis debilitatam sustinere oportet. Sin vero puerperae vires consumantur, haemorrhagiam perdurantem et auctam, uterum non imminutum sed contra extensum et sensiliorem animadvertimus, simulque agrypnia, anxietas, syncope, rigor et cerebri affectiones accedant, non diutius extractionem artificialem differre debemus; ne aegrotam gravissimo periculo tradamus. Omnia, quae facile disjungenda, secundum artis regulas amovere, obstetricatoris est; sed caveat, ne atrocem vim in illas, quae utero arcte affixae, partes inferret. Placenta seu tota seu ex parte soluta, manus eo usque in cavo uteri remanet, donec contractiones redeunt, et tunc demum secundinae amovendae. Relictae placentae partes in posterum cum lochiis excernuntur. Ceterum denique hic praecipue maxima, in puerperarum curatione, opus est animi intentione.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego, *Guilelmus Ohrtmann*, natus sum Hamburgi die XXVIII. m. Aprilis anni MDCCCIV. patre *Joanne Ohrtmann*, Med. Dr., matre e gente *Roehrs*. Patrem dilectum ante tres circiter annos praematura morte defunctum pius lugeo, matre jam viginti abhinc annis morte abrepta. Primis literarum rudimentis a Cel. *Kraemer*, nunc Professore gymnasii Hamburgi, imbutus sum, cui non possum, quin optime de me merito gratias meas hic palam tribuam. Annum decimum quintum agens, Joanneum, quod ibi Cel. *Gurlitt* directore floret, per quatuor annos frequentavi. Tum mense Aprili Gottingam me contuli, ut medicinae operam navarem. Ibi ab Ill. Bergmann, t. t. prorectore, civium academicorum numero adscriptus, his quidem scholis interfui: Ill. Mayer de physice experimentali, Cel. *Bartling* de botanice, Ill. *Blumenbach* de historia naturali, de physiologia, Ill. *Stromeyer* de chemia, Cel. *Hempel* de osteologia, syndesmologia, myologia, et physiologia, Ill. *Langenbeck* de anatomia, chirurgia et akiurgia, Ill. *Conradi* de

pathologia et therapia universali et speciali, Ill. *Himly* de pathologia et therapia universali, Ill. *Krause* de materia medica et arte formulas medicas concinnandi. Ad clinicem medicam et chirurgicam me instituerunt Ill. *Langenbeck* et *Conradi.* Artem cadavera rite secandi me docuerunt Ill. *Langenbeck* et *Hempel.* Mense Aprili anni MDCCCXXV hanc almam literarum sedem adii, Rectore magnifico, Ill. *Rudolphi* et ordinis medici. Decano Ill. *Link* d. XXII m. April. in studiosorum numerum receptus, hisce interfui praelectionibus: Ill. Rudolphi de physiologia et anatomia comparata, Nob. de *Siebold* de arte obstetricia, Ill. *Jungken* me instituente, cursum operationum, ad ophthalmiatricen spectantium perfeci; interfui scholis clinices chirurgicae et ophthalmiatricae Nob. de *Graefe,* obstetriciae nob. de *Siebold.* Per annum Ill. *Berends* ad lectulos aegrotorum comitari contingit mihi, et per semestre Ill a *Stosch* auspiciis praxin ipsam exercere in clinico med., ubi nunc adjutoris muneri praesum. Tentamine et examine rite absolutis, spero fore, ut!, dissertatione thesibusque de fensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Haemorrhagia certam nobis praebet indicationem, placentae manu adjuvante amovendae.

II.

In typho sporadico nulla crisis bona nisi per alvum.

III.

Febris puerperalis nervorum morbus.

IV.

Signa ex pulsu fallacia.